



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Vita Et Honestate Canonicoꝝ, Et Alioꝝ
Ecclesiasticoꝝ Specvlvm**

Langhe-Cruys, Johan

Duaci, 1587

Ad Belgii Ecclesiasticos honestatis studiosos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63733)

AD BELGII ECCLESIASTI-
cos honestatis studiosos.

MIRABIMINI fortasse non parum,
benevoli in Christo Fratres, ad pri-
mum huius libelli aspectum, cur ego
iam post tot summorum Pontificum, &
sacrorum Conciliorum decreta & ca-
nones, super vita & honestate Clericorum edita,
hunc iam prolixè de eodem argumento scribendi
laborem susceperim: at postquam instituti & fa-
cti rationem cognoueritis, & istius Speculi peni-
tiores inspectionem ac contemplationem habue-
ritis, spero vos hunc meum conatum & studium
non reprehensuros: sed pro vestra benivolentia,
candore, & equitate, utilem & commodam vera
honestati ac saluti nostre operam me hoc tempore
collocasse iudicabitis. Pertractatis enim altero
nostro Speculo precipuis malorum horum tempo-
rum causis & remedijs ad diuina officia pertinen-
tibus, proximum nunc esse, ac rationi congruum
existebam, ut illorum quoque cause & reme-
dia explicarentur, que ad vita, morumq; nostro-
rum honestatem spectarent. Ad quam in Clerum
reducendam, & ad istorum temporum calamita-
tes tollendas, sanxit & decreuit SS. Tridentina
Synodus^a, sacratissimos canones, exactè ab omni-
bus, & quò ad eius fieri poterit indistinctè obser-
uandos: & que alijs summi Pontifices, & sacra
Cõcilia de illa statuerunt, eadem in posterum eis-
dem pœnis, vel maioribus arbitrio Ordinarij im-
ponendis obseruarentur. Si que verò ex his in de-
e iij suetudi-

a Sess. 22. de re-
form. cap. 11. &
Sess. 23. de re-
form. cap. 18. 19

AD BELGII ECCLESIASTICOS xxij
suetudinem abierint, ea quam primum in usum
reuocarentur, & ab omnibus accuratè custodirentur,
nò obstantibus consuetudinibus quibuscumq;
ne subditorum neglecta emendationis ipsi Pralati
condignas, Deo vindice, pœnas persoluant. Quo-
circa Pius Papa 4. in prædicta Synodi confirma-
tione, mandauit in virtute sancta obedientie, &
sub pœnis à sacris canonibus cõstitutis, alijsq; gra-
uioribus, vniuersis & singulis Ecclesiarũ Pralatis,
vt eadem decreta & statuta in Ecclesijs suis, ad
quos quomodolibet pertinent, inuiolabiliter face-
rēt observari: contraditores quoslibet, & cõtumacia-
ces per sentētijs, censuras, & pœnas Ecclesiasticas,
appellatione postposita, compescendo: inuocato e-
riam, si opus fuerit, brachij secularis auxilio. Ista,
inquam, cum ego animaduertērem, & exploratum
certumq; haberem, prædicta Synodi Tridētinæ de-
creta & canones de Clericorum vita ac honestate,
à plurimis non observari, & ab aliquibus certè ad-
modum negligenter: eaq; nò magni fieri, & paucos
illa habere ac legere, præsertim qua generatim ab
eadem Synodo innouata sunt, propter librorũ ino-
piam: aut si qui fortè haberent, & legerent, dix-
runt, illa his temporibus neutiquam in observatio-
nem deducenda esse, aliud nunc Clericorum hone-
statem postulare, quam olim. Deo igitur ter Opt.
Max. & Ecclesiarũ Pralatis, ceterisq; Ecclesia-
sticis verum Dei timorem habentibus, ac piè &
honestè vitam suam traducere cupientibus, non
ingratũ nec inutile fore putavi, si ad demonstnan-
dum quam sit nunc Clericis necessaria huius vera
honestatis observatio, non solum Pontificum, &
Cancil-

Conciliorum decretas; sed etiam sanctorum Patrum
 aliorumq; Doctorum sententias & dicta ad illam
 persuadendam pertinentia, in certas quasdam clas-
 ses colligerem & digererem; ut illa, quae sparsim a-
 pud multos auctores, & in diversis libris intervallo
 disuncta erant, in unum convenienti ordine codicē
 redacta traderentur: ex quo citra tedium & dis-
 turtam inquisitionem hauriri & desumi possent.

Prima namq; classe digesta sunt illa, quibus
 honestas verbo, & sermone à Clericis vel acquiri-
 tur, & conservatur, vel amittitur, aut violatur.
 Secunda traditur quomodo illa habitu, gestu, in-
 cessu, & quibus virtutibus pareatur, ac illustretur;
 & quibus vitijs contrarijs perdat, aut obscure-
 tur. Tertia, quali conversatione Clerici sacris ini-
 tiati honestatem conservare, vel illam amittere
 possint. Quarta, quomodo cupiditate, & ambitio-
 ne illa deturpetur, ac ledatur. Quinta, quorum
 negotiorum secularium procuratio illa in vilipē-
 dium, & contemptum deducatur. Sexta denique
 explicatur, quomodo illa per rectam disciplinam
 reparanda, & pristino suo splendore, ac vigori resti-
 tuenda, & conservanda sit.

Verum quod in auctoritatibus recitandis pro-
 lixior interdum sum, id aut verborū eiusmodi, quae
 Spiritus sanctus protulit efficacia, aut nostra erga
 proximum charitati tribuendum est. Quid enim
 ad hoc nostrum persuadendum institutum, vel
 accommodatius, vel efficacius, vel Ecclesiasticis gra-
 tius adferri posset, quam Sanctorum verba? ut
 ipsi illa sua esse agnoscentes, nobiscum cooperaren-
 tur: vel potius ipse Spiritus sanctus qui ista suis

xxiiij AD BELGII ECCLESIASTICOS
 suppeditando Sanctis locutus est, conspiciens sua
 sibi verba resonare, nostram coadiuaret operam.
 Si quidem quanto Sanctorum vita melior, tanto
 eorum verba meis meliora efficacioraq; fore, per-
 suasum mihi habui, diui Athanasij secutus do-
 ctinam & assertionem. ^a Nam in ijs, vt ipse ait,
 placuerunt Deo; vicerunt regna; operati sunt iusti-
 tiam; adepti sunt repromissiones; obturarunt ora
 leonum; extinxerunt vires ignis; emittauerunt aciem
 gladij; confirmati sunt ab infirmitate, validiq; in
 bello effecti, alienigenarum exercitus fugarunt.
 Hac, inquam, diui Athanasij sententia, ex diuo
^b ad Hebraeos, Paulo deprompta permotus, ad animi mei cogi-
 tationes pronuntiandas, libenter sacra scriptura
 verbis, summorum Pontificum & sacrorum Con-
 ciliarum decretis, sanctorumq; Patrum scriptis
 vsus sum. Certam mihi de Dominis Canonicis, &
 aliis omnibus Ecclesiasticis spem faciens, illa ipsis
 ad vite morumq; emendationem, & veram hone-
 statem persuadendam futura gratiora, maiorisq;
 auctoritatis ac ponderis, quam mea; etsi omnibus
 Eloquentia floribus & coloribus ornata & disposita
 essent. Adhac animo mecum reuoluens plurimorum
 Ecclesiasticorum Belgij bibliothecas destructas,
 vel direptas; illosq; ad magnam inopiam nunc reda-
 ctos, usq; gratificari, & comodare studens, hoc, &
 aliis a nobis libellis paruo emendis, collegi & di-
 gessi, quae illis scitu & obseruatu utilia, honesta,
 & ad salutem necessaria videbantur.
 Quare, vos omnes, tanquam meos in Christo
 fratres, quam possum maxime obsecro, vt hac mea
 studia & labores a qui boniq; consulere dignemini;
 & absque

^a in epist. ad
 Malacellinum
 de visu & in-
 terpret. psalm.

^b ad Hebraeos. ii.

& absque ulla dilatione vitam & mores nostros
 emendemus, atq; in accuratam observationem de-
 ducamus, quæ ad veram honestatem consequendam
 pie & salubriter statuta ac ordinata sunt à sancta
 matre nostra Catholica Ecclesia, per sacrosanctum
 & œcumenicum Concilium Tridentinum repre-
 sentata^a. Quæ omnia cum observari facillima
 sint, miror vehementer, quosdam inferiores Prela-
 tos, & Capitula, audere sibi illorum interpretatio-
 nem & dispensationem usurpare, nescio ad quam
 carnis lasciviam, & pigritiam, quò sibi suorum sub-
 ditorum gratiam, & fauorem humanum concilient,
 vel conseruent: cum tamen illa iure Canonico ad
 solum Pontificem Romanum pertineat^b. Et Pius
 quartus prædictam Synodum confirmans expressè
 sibi, & Sedi Apostolica reservauit declarationem
 & decisionem difficultatum & controuersiarum, si-
 qua ex illius decretis & Statutis oriuntur, offerens
 se paratum omnium prouinciarum necessitatibus
 earatione, quæ sibi commodior videretur, provide-
 re. Atque hanc illius auctoritatem ipsa quoque
 sancta Synodus suo decreto reuerenter agnouit^c.
 Quocirca irritum & inane decreuit Pontifex
 Pius 4. si secus super his statutis et decretis, à quo-
 quam quauis auctoritate scienter vel ignoranter
 contingeret attentari. Cogitent igitur quam ma-
 le sue, & subditorum suorum saluti supradicti
 Prelati & Capitula consulant, se, & suos hac ra-
 tione in antiquis vitiis & peccatis fouendo.

Quid autem dicendum de illis, qui cum in ob-
 seruationem sacrosancti concilij Trident. iurave-
 rint, & tamen nulla necessitate, nulla timore,

nullo

^a Sess. 18. cap. 1.
^b Panor. in
 tract. questio.
 q. 1. num. 14.
^c in c. signi-
 ficati. de iudic.

^b c. ex parte. de
 cap. mona. arg.
^c statuta. c. 10.
 tit. de elect.
 in 6. c. consti-
 tutio. c. sta-
 tutum. de sen-
 tent. excom. in
 6. c. statum.
 de rescript. in
 6. Ioan. Andr.
 Panor. et De-
 ctus in c. signi-
 ficati. & glof.
 not. in c. cum
 dilectus. de
 elect. glof. in c.
 ubi per uin.
 eodem tit. in 6.
 c. Sess. 17. cap.
 16.

xxvj AD BELGII ECCLESIASTICOS

nullo Superioris imperio, vel mandato coacti, sed ad suorum confratrum duntaxat captādam, vel retinendam benevolentiam, aut ob corporis sui mollitiem seu negligentiam, aut questum, vel ambitionem & cupiditatem, prudentes, & scientes transgredi, & violare illius decreta non verentur? Utinam illi recordarentur iure divino sancitum

a Num. 30.

esse a: Si quis virorum votū vouerit Domino; aut se cōstrinxerit iuramento, non faciet irritum verbum suum; sed omne quod promisit, adimplebit. Et

b Deuter. 23.

alibi b: Cum votum voueris Domino Deo tuo, nō tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod autem semel egressum est de labijs tuis, obseruabis, & facies sicut promissisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.

c Eccl. 5.

Displicet enim ei, iuxta Sapientis sententiā c, infidelis, & stulta promissio. Sed quodcunque voueris redde: multoq; melius est non vouere, quā post votum, promissa non reddere. Christus discipulos suos seorsim in mōte erudiens, inquit d: Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas; non veni soluere, sed adimplere. Audiētis, quia dictum est antiquis: Nō periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.

d Mat. 5.

Quare non temerè iure Pōtificio definitum legitur, tantò grauius vindicandum esse periurium, quātiò maiori prae eminent dignitate iuramenti transgressores: quorū exemplo alij facilius ad similia pronocātur e. Quia censore D. Gregorio f, tot mortibus digni sunt, quot ad suos subditos perditionis

e c. cum quidā de iur. iur. f e. prae. p. d. n. q. 3. Panor. in d. c. cum quidam.

nis

nis exempla transmittunt. Per iurium enim tale, in clericis grauiſſimum reputatur peccatũ, nec homicidio quidem leuius ^a. Siquidem tam sanctum, & honestum iuramentum non obseruantes, Deum planè cõtemnere, vel non magni facere videtur ^b. Et licet de magnitudine istiusmodi contemptus euidenter non constet, tamen qui ordine & dignitate inter illos maior est, presumitur de iure magis contemnere, & Deo magis ingratus esse: & sic ratione istius verisimilis presumptionis, magis & acrius puniendus est ^c. Nec id iniuria; nam cum istud iuramentum, de quo hic loquimur, contra vllam controuersiam licitum, & possibile sit, nec libertati ecclesiastica obuiet; consequitur, illud omnino esse obseruandum sub periculo peccati grauiſſimi ^d.

Quod autem nonnulli periuri, & quibus per exigua cura est anime sue conseruanda, dicant, tale iuramentum generatim præstitum de obseruandis decretis concilij Trident. vel statutis & consuetudinibus Capituli & Ecclesie, nõ obligare tantopere, vt propter illius transgressionem quis periuriũ committeret; id friuolum prorsus est. Quãdoquidem si illud non esset verè & cum effectu obligatorium, ita vt illius violator in periurium incideret, non tam expressè Pontificio iure declaratum & definitum esset ^e; quòd iuramentum sub huiusmodi generalitate præstitum, ad licitum, possibile, & ecclesiastica libertati non obuians, tantum extendatur. Quam Pontificis declarationem Iurisperulti sequentes docuerunt, iurantem generaliter seruare statuta & consuetudines in vno vel diuersis li-

^a c. predicandum. 22. q. 1.

^b Panor. in d. c. querelam. de iur. iur.

^c Panor. in d. querelam. c. in d. c. cum quidam. & ibidè Hostiens.

^d Hostiens. & Panor. in d. c. cum quidam.

^e d. c. 1. de iure iur. in 6. glos. Hostiens. & Panor. in d. c. tua.

^e d. c. 1. de iure iur. in 6.

sis libris scripta, dummodo illa licita & possibilis sint, & Ecclesiastica libertati non obuiant, iurare

se seruaturum quodlibet statutū per se, nec oportere, quod iuramentum semper fiat super re certa & speciali, ut committatur periurium; sed quomodocumque quis periuret, succedere iura loquentia de periurio simpliciter, non expresso magis vno,

quā altero b. Si iuramentum de obseruandis decretis & statutis generatim praestitum nō esset reuera & cum effectu obligatorium, per suasissimum mihi habeo, quod SS. concilij Trident. Patres nūquam decreuissent, & statuissent c. Episcopos, Canonicos, & alios beneficiatos praesertim curam animarum habentes, debere orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, & ea omnia & singula

quae a se definita & statuta essent, palam recipere, & spondere, ac iurare se in Romana Ecclesia obedientiam permansuros; & Uniuersitates eorumq; Magistros & Professores, se initio cuiuslibet anni solenni iuramento obstringere, quod canones & decreta huius Synodi recipiant; & ea quae Catholicae fidei sunt docent, & interpretentur. Nam si antiquo iure Pontificio omnes Christiani obligantur absque vlllo iuramento, canonum statuta custodire d. quis, quae so, Ecclesiasticorum tam imperitus, ne dicam impius erit, qui audebit publice asserere, & iactitare, se ad huius vel illius decreti SS. & oecumenicae Synodi Trident. suum officium concernentis, obseruationem vigore iuramenti publicè & solenniter Deo ac Superiori suo generatim a se praestiti, non esse multo obligatiorem, quā si nullum iuramentum praestitisset? cum tamen etiam

contra-

a d. r. & ibi
Philip Franc.
de iur. iurati in
6. Arc. id. in
c. inter. 22. q. 4.

b. c. est Christi.
fius. & ibi Fel.
lin. & in c.
querelam de
iur. iurati.

c. sess. 4. de
refor. c. 12. sess.
23. de refor. c. 2.

d. c. r. & ibi
gloss. & D. D.
de constitut.

contractus profani, solius iuramenti præstantia et
efficacia, observari debeant, qui alias de sui natu-
ra nõ tenent^a. Quapropter Jurisperiti tradunt^b,
quod in obligationibus iuratis quis præcisè cõpella-
tur ad factum, maximè cum iuramentum habeat
vim illius clausulas nõ valet quod ago, vt ago, va-
leat meliori modo quo potest. Sed promissiones non
iurata, non obligant præcisè ad factum, sed ad in-
teresse, si factum impleri seu præstari non possit.

Deinde quis inficias ibit, apud omnes Juris-
consultos receptissimum esse, iuramentum super re
aliqua præstitum servandum esse, etiam si vergat
in damnum vel præiudicium temporale^c; vel præ-
stetur super contractu ex sua natura non obliga-
torio^d? Quocirca Alexander Papa tertius ex-
presse rescripsit^e, non esse tutum quemlibet con-
tra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod
vergat in interitum salutis æternæ, nec se velle ali-
cui dare materiam veniendi contra iuramentum,
ne auctor periurij videretur. Siquidem transgre-
diens, & violans licitum iuramentum, vel ei non
obediens, incidit eo ipso in periurium, nec requiri-
tur ad illius declarationem aliqua sententia^f.
Quinimo si ea, quæ per timorem, vel metum sunt,
qui possit cadere in constantem virum, tenent: & ob-
ligetur quis illa observare, licet coactus super iis iu-
ramentum fecerit, dum ea talia sint facta vel pro-
missa, quæ servari possint sine interitu salutis æ-
ternæ; quanto magis obligatur quis observare illa,
quorum observacione acquiritur vita atq. salus æter-
na? Et qua sponte, ac voluntarie, magnaq. cõsolen-
nitate in conventu Capitulari, vel alibi publice

^a arg. c. debito-
res c. cum can-
tingat. & v-
trobiq. gloss.
de iurcuran.
& in c. signi-
ficante de pi-
gnorib.
^b in c. veniens
de iurcuran.

^c c. debitor. et
ibi gloss. &
Panor. de iure-
iur. e. significan-
te & ibid.
^d gloss. de pigno-
rib.
^e d. c. cum con-
tingat. & ibi
gloss. de iurcur.
Hortens. in
sum. d. tit. d. c.
significante.
^f c. si vero, de
iurcuran.

^f arg. c. brevis
ibi Panor. de
iurcur. & idè
in c. veniens
cod. titu.

^g c. si aliquid.
22. q. 4. d. c. si
vero. gloss. nos.
in c. abbas. de
his qua vi me-
iusue.

CORAM

xxx AD BELGII ECCLESIASTICOS
 coram suo Superiore se observaturū iuravit? Quid
 autem censendum de illis, qui cum blandis, vel
 acerbis monitionibus, vel minis censurarum, aut
 privationis beneficiorum ad istiusmodi iuramenti
 observationem urgentur, non pudet eos, nec verentur
 ab illis provocare, protestari & appellare ad
 Sedem Apostolicam? conantes tali modo ac ratione
 sui iuramenti observationem declinare, ac subterfugere:
 nibili pendentes, vel saltem ignorantes se hoc suo
 facto rursus periurij reatum incurere, licet tali sua
 provocazione, protestatione, & appellatione non
 suspendatur, quod iuramento promiserunt a.

a c. breui. et ibi
 Panoy. de iure
 iur. lo. N. o. bol.
 in prompt. V. l.
 ad verb. iuramentum.
 b And. Sicul.
 in c. 2. de re.
 script. Aut. de
 Butr. in c. fr.
 de postul. Re.
 huss. in tract.
 de pacif. possess.
 num. 223.
 c in d. c. quere.
 lum.
 d in d. e. 2. de
 rescript.
 e in c. tuanos.
 de iur. iurand.
 f in d. c. tua. et
 c. querelā. ibid.
 g in c. ex parte.
 de rescript.

Sunt non infima auctoritatis Iuriconsulti, qui
 sustinent, ac tuentur, periurum esse ipso iure pri-
 vatum beneficijs b; & collationem illi factam, esse
 nullam. Quia sicut Alexander Papa 3. rescri-
 psit c; non merentur Ecclesias regere, qui sunt cri-
 mine periurij irretiti. Et quamvis alij sint, qui
 periurum non ipso iure privatū beneficijs asserat d,
 nemo tamen eorum negat illum beneficijs privan-
 dum esse. Quinimo Panormitanus e, Felinus f, &
 Decius g, quorum maxima est in iure Pontificio
 auctoritas (preter alios, quos ego non legi) expressē
 docuerunt; propter periurium respectu certi bene-
 ficij commissum, privari quem non solum isto be-
 neficio, sed etiam omnibus alijs; & inhabilitari
 perpetuū ad beneficium suscipiendum; etiam si ta-
 le sit periurium, quod infamiam nō irroget. Quid
 nōne sacra testatur scriptura h, Deum Israëlitis
 triennem immisisse famem, & omnē ipsius Sau-
 lis familiam excepto Miphiboseth filio Ionathae,

in 678

h 2. Reg. 27.

in crucem actam & suspensam, ob violatum à Saule quasi zelo quodam pro filio Israël, & Iuda, iuramentum datum Gabaonitis? Si nunc Domini consuleretur oraculum, sicuti tunc, metuo, responsurum, hanc diuturnam famem, & inauditam ac incredibilem à Belgio condito rerum omnium caritatem, propter violata quoque iuramenta, non Gabaonitis seu infidelibus & Hæreticis, sed Deo Opt. Max. & Superioribus nostris fidelibus præstita, Belgis iam immitti. Quamobrem Alexander Imperator de pœna periurij consultus respondit: Jurisurandi contempta religio, satis Deum ultorem habet. Et idcirco apud omnes populos, ac præsertim Romanos magna semper vis, magnus effectus, & reuerentia fuit iurisurandi, sicut indicant leges duodecim tabularum, fœdera etiam cum hostibus inita, & animaduersiones Censurorum, qui nulla de re diligentius, quàm de iureiurando indicabant.

O quam horrenda & magna erit Prælatorum damnatio, qui (sicut dicitur Dionysius Richelius censuit b) pro singulis suorum subditorum ex eorum negligentia pereantium torquebuntur! O quanta in eos cadet diuina ultio, qui cum ad spiritualis conuersationis munditiã obligantur, aliisq; in omnibus exemplares esse tenentur, carnalibus vitiis seruiunt! vanitati, elationi, curiositati intendunt! propriisq; gradus dignitatem non ponderantes, vilem atque turpissimam peragunt vitam! Isti corpus Dominicum sacramentaliter comedunt, & non saturantur effectu, & gratia tanti sacramenti, quia non sumunt spiritualiter, suntq; rei corporis

^{a in l. c. de reb. credit. & iureiur.}

^{b in cap. 4. 9. sec.}

xxxij AD BELGII ECCLESIASTICOS
corporis & sanguinis Domini. Jam enim luxuria
vitia vigent in eis, & qui deberent angelicam du-
cere vitam, bestiales effecti sunt, & bestiis decies
millies deteriores, qui Virginis filium tractant ore
& manibus, quibus contrectant filias Veneris: tã-
tam quoque sua conuersationis impietatem ma-
gnitudinemq; non attendunt. Hac ille. Perpetuo
igitur memorie nostrae inhereant, & frequenter
nobiscum in animo versemus hac Dei verba a: E-
ritis mihi sancti, quia sanctus sum ego Dominus,
& separavi vos à ceteris populis, ut essetis mei. Et
quod dixit Dominus ad Moysen b: Loquere
ad Sacerdotes filios Aaron: & dices ad eos: Sancti
erunt Deo suo, & non polluent nomen eius, Incen-
sum enim Domini, & panes Dei sui offerent: &
ideo sancti erunt.

a Leuit. 20.

b Leuit. 21.

Cogitemus quo in loco, gradu, & dignitate à
Domino constituti simus, quam uobis ille potesta-
tem, functione, & administrationem tribuerit: &
quam uita honestatem, ac sanctitatem ille à laicis
requisiuerit. Nonne ille ad populum uerba facies
dixit c: Diliges Dominum Deum tuum ex toto
corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente
tua. Hoc est maximum & primum mandatũ. Se-
cundum autem simile est huic: Diliges proximum
tuum, sicut te ipsum. Attendite uobis, ne forte gra-
uentur corda uestra in crapula & ebrietate, & cu-
ris huius uitae d. Et D. Paulus Ephesius scribes e:
Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut auaritia
nec nominetur in uobis, sicut decet sanctos,
aut turpitude, aut stultiloquiũ, aut scurrilitas: sed
magis gratiarũ ad Deo. Et, nolite inebriari uino, in
qua

c Matth. 22.
Mar. 12. Luc.
10.

d Luc. 21.
e Ephes. 5.

quo est luxuria: sed impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismet ipsis in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino: gratias agentes semper pro omnibus in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo & Patri. Et Romanis ^a: Abijciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sic ut in die honeste ambulemus. Non in comestationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudiciis, non in contentione & emulatione, sed induimi Dominum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideris. Si ad suprascripta & alia illis similia Christus & Apostolus populum hortati sunt, quid nos facere oportet: nos, inquam, qui tanto gradu a plebe diuidimur? qui pro illius delictis Deo sacrificia offerre tenemur? cuius piis foundationibus viuimus? qui psalmis & hymnis in choro reuerenter, distincte & deuote decantandis ad laudem & gloriam Dei, populiq; salutem mancipati sumus? Sed, pro dolor, haec nostras preces & orationes Deus non videtur iam velle exaudire; quia & ipsi, & ipsius Vicario Pontifici Romano, qui nobis SS. Concilij Tridentini obseruationem mandauit, obedire detrectamus; cum tamen melior sit obedientia, quam victima ^b: & au- ^b 1. Reg. 7. scultare magis, quam offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatria nolle acquiescere. Sola obedientia fidei meritum possidet, sine qua, censore diuo Gregorio ^c, quisque infidelis esse conuincitur, etiamsi fidelis esse videatur. Nec vllum ab aliis granius neque ma-

^a Rom. 13.

^b 1. Reg. 7.

^c lib. 35. in Iob.
cap. 13. lib. 6.
cap. 2. in 1. lib.
Reg. c. sciendū
8. q. 1. c. in gra-
uibus. 3. q. 7. c.
scriptum 1. q.
9. c.



xxxiiij AD BELGII ECCLESIASTICOS
ius prauudicium tolerat Deus, quam a Sacer-
dotibus; quando eos, quos ad aliorum correptionem
posuit, dare de se exempla prauitatis cernit:
quando ipsi peccant, qui compescere peccata de-
buerunt.

a in homilia
7. in Genesim.

D. Chrysostomus a de gentibus & infidelibus
sermonem faciens: Probabile est, inquit, quod pro-
cessu temporis Christo auscultabunt, & maxime,
si nos ita viuamus, ne a nobis incommodentur. Mul-
ti enim illorum, cum viderint nostrorum aliquos
verbo quidem & vocabulo Christianos appellari,
ceterum, sicut ipsos rapere, pecunia cupidos esse, in-
uidere, insidiari, dolos plectere, aliaq; omnia face-
re, crapula voluptatiq; vacare, non iam nos au-
diunt, neque si rationabiles sint admonitiones no-
stra: sed existimant omnia nostra deceptiones, &
eisdem criminibus omnes obnoxios. Cogitate obse-
cro, quantis illi digni sint suppliciis: quando quidem
non solum sibi ipsis inextinguibilem ignem coacer-
nant, sed & alius auctores sunt, ut in errore perse-
uerent: & ne virtutem addiscant, obturent aures:
& ad haec, in causa sunt, ut etiam virtutum studiosi
accusentur & reprehendantur, & (quod omnibus
grauius) per ipsos Dominus blasphematur. Vide-
te quanta malitia pernicies? Videte, quomodo non
vulgari poena reos se faciunt, qui malum sectan-
tur: sed & multo grauissima supplicia pro omni-
bus luituri sunt, non solum pro sua perditione, sed
& pro errantium scandalo, & pro suggillatione ius-
torum, & pro blasphemia in Deum. Hac omnia co-
gitemus, ne simus nostra salutis negligentes: sed ma-
gna nobis sit cura, ut iuxta Deum viuamus, scien-

res nos inde vel cōdemnandos, vel illius misericordia beādos. Sic omnia faciamus, ut & nos in pura conscientia versemur, & eos, qui adhuc errant, nostra ad Deum cōuersatione, ad veritatem madducamus, ut & nos, & alij omnes, qui nobis cōmmerantur, bona fama fruamur: & ante omnia glorificetur Dominus noster, maioremque nostri curam agat. Nam quādo in nos respiciunt homines, & laudem in Deum referunt, inde & nos plus diuina gratia assequemur. Quid enim beatius homine, qui sic viuit, ut & homines obstupescant, & dicant, Gloria tibi Deus. Proinde scientes quōd & de damno & de lucro proximorum indicabimur: sic vitam nostram instituamus, ut non solum nobis sufficiat, sed & alij inde erudiantur, ut & hic magnam Dei gratiam nobis conciliemus, & in futuro gloria per Dei misericordiam fruamur. Hęc Chryſostomus.

Ceterum ne quis hęc meam monitionem & assertionem molestē ac iniquē ferat, huc in medium adferam, quod hac de re Reuerendissimus noster in Christo Pater, ac Dominus Dn. Martinus Rytouius, pia memoria primus Episcopus Iprensis, ab hæreticis & rebellibus Regia Maiestatis Gandauicæ captus, anno Domini 1577. è carceribus suis scripsit ad Reuerēdum Dominū Ioannem Loæum Prapositum Euerſamensem, qui istarum literarū Reuerēdissimi nostri exemplar ad me misit, in quo hæc infrascripta habebātur. Inter cetera præsidia, quibus nituntur desertores Ecclesiæ & erroribus apud indoctam & male affectā plebeculam fidem sociiliare student; primo loco habere videntur ab-

sus Ecclesiasticorum, quibus euulgandis, & exag-
 gerandis declamationes suas ad populum multi-
 pliciter ornant, aut onerant potius. Nam sa-
 pe illarum maximam partem talibus flosculis in-
 sumunt, vt nasutulos suauiter demulceant. Et
 sane (quod magno pudore nostro debemus agno-
 scere) grauiores fuerunt abusus nostri, etiamsi ad
 veritatem nihil addatur, quam vt dissimulari pos-
 sint. Vtinam autem ipsi, priusquam eo calamitatis
 veniretur, turpitudinem nostram ad regulas tam
 in scripturis, quam Patrum & Conciliorum de-
 cretis praescriptas abstergere voluissimus. Quod
 quia factum non est, a quo animo ferre debemus,
 si nobis impropereur, & in nobis impleatur com-
 minatio Malachia Propheta dicentis: Et nunc
 ad vos mandatum hoc o Sacerdotes; Si nolueritis
 audire, & si nolueritis ponere super cor, vt deus
 gloria nomini meo, ait Dominus exercituum. Mit-
 tam in vos egestatem, & maledicam benedictio-
 nibus vestris, & maledicam illis, quoniam no posu-
 istis super cor. Ecce ego projiciam vobis brachium,
 & dispergam super vultum vestrum stercus solen-
 nitatum vestrarum, & assumet vos seculum. Et scietis
 quia nisi ad vos madatum istud, vt esset pactum
 meum cum Leui, dicit Dominus exercituum. Pa-
 ctum meum fuit cum eo vita & pacis, & dedi ei ti-
 morem, & timuit me, & a facie nominis mei pa-
 uebat. Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas
 non est inueta in labijs eius. In pace & in aequitate
 ambulauit mecum, & multos auertit ab iniqui-
 tate. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam:
 & legem requirent ex ore eius, quia angelus Do-
 mini

Malach. 2.

mini exercituum est. Vos autem recessistis de via, & scandalizastis plurimos in lege. Irritum fecistis pactum Leni, dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege. Prolixius, ait Reuerendissimus, ista Malachia recitat verba; quod causas calamitatis, quam patimur, tam aperte contineant; easq; nobis in vita nostra tam clare ostendant, vt nullum pateat subterfugium, nec alio referre possimus, quod in exilio nobis agendum sit; quod bonis & possessionib; quas Dei benedictione, & pietate fidelis populi consecuti eramus, spoliati simus, quam in propriam culpam nostram, & vita nostra demerita. Neq; enim in paruo crimine habendum est, si Christi patrimoniu inutiliter dissipetur. Agnosceda est igitur culpa, (quia vt diuus Augustinus inquit: Initium operum bonorum, confessio est operum malorum) & patienter ferendum, si traducimur, si vitia nostra in publicum odiosè proferantur: & ideo ad veram reformationem totis conuenientisq; viribus incubendum. Si fideliter executioni mandata fuissent, qua in Concilio Tridentino satis indulgenter, habita ratione infirmitatis, decreta & constituta fuerant, nunquam eò miseria aut calamitatis venissemus. Utinam autem vel iam icti sapiamus. Nam nulla pœnitentia sera, si tamen vera. Hæc Reuerendissimus noster: cuius omnia verba huc tam prolixè adducenda & transcribenda duxi: non dubitans plus fidei & auctoritatis illis tributum iri, quam meis solius.

Porro licet non parua iam spes affulgeat, Regem nostrum Catholicum Dei fauore, & sua potentia, Hæreticos, & alios sibi rebelles, Ecclesiasticorumq; persecutores temporis successu ac diuturnitate superaturum, & profligaturum; tamen propterea non est à nobis differenda, ne in crastinum quidem, nostri ad Deum ex toto corde conuersio, & vera honestatis obseruatio. Quia ad illam obtinendam victoriam, non tam Regis nostri potentia, quam nostra pœnitentia, vita emendatione, pijsq; precibus & sacrificiis opus esse videtur. Quamuis enim anno Domini 1567. cum Hæreticis in sanctorum templorum spoliatione & profanatione, Diuorumq; imaginum cõfractione suam satis superq; exercuissent tyrānidem & insaniam; nos frustrati non simus spe nostra, quam tunc de Dei & Regis nostri potentia conceperamus; tamē quia tunc in promissa Deo, & nonnihil incepta pœnitentia, & vitæ morumque nostrorum emendatione non perseuerauimus, en altera calamitas, & decuplo grauiora, asperiora, ac diuturniora Dei flagella, quam illa fuerant priora, licet tamē acerbissima. Et quanquam nunc rursus non minima misericordia diuina spes reluceat, incertum tamen an similem sortietur illa euentum & effectum. Dolendum quidem ac deplorandum, quod prior illa Deo tranquille seruiendi & secure viuendi libertas nobis tunc restituta, diuturnior nõ fuerit. Sed qua causa? quia, sicut Reuerendissimus noster scripsit, turpitudinem nostram, ad regulam in sacris scripturis, quam Patrum & Conciliorum decretis præscriptam, abstergere nolimus.

Quod

Quod si factum esset, arbitror nos visuros fuisse rerum omnium longè feliciorum ac prosperiorum, in religionis restauracione & conseruatione, patriæq; administratione successum. Verùm quia id neglectũ fuit, hinc anno Domini 1578. iusto Dei iudicio superuenisse videtur, non solum altera iconomachia, & Ecclesiarum spoliatio ac profanatio; sed etiam harum plurimis in locis ad ipsa fundamenta deuastatio & euersio, omnium bonorũ deprauiatio & occupatio, Episcoporum & aliorum Pastorum captiuitas, multorum interfectio, aliorum proscriptio & exilium.

Non quòd his argumentis tantam Belgij calamitatem & ruinam solis Clericorum peccatis tribuere, & laicos planè innocentes pronũtiare uelim. Absit: Siquidem & ab istis maxima & abominanda scelera ac flagitia perpetrata fuisse, quibus Deum non parum offenderunt, illiusq; iram uehementissimè exacerbarũt, lippis & tonsoribus notum est. Sed ànc Clerici suis delictis, & prauis exemplis ad talia committenda illos prouocauerint, Deo omnia scienti ac intuenti, alijsq; me sapientioribus discernendum relinquo. Hoc unum interim non me latet à SS. Tridentina Synodo declaratum: quòd cũ Clerici à rebus seculi in altiore locũ sublatis conspiciuntur, in eos tanquam speculum reliqui oculos conyiciunt, & ex iis sumunt, quod imitètur: nihilq; est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultũ assidue instruat, quàm eorum uita & exemplum, qui se diuino ministerio dedicauerunt. Ex quo uidetur consequi, nihil fuisse quòd laicos magis à uero Dei cultu auerterit, &

XL AD BELGII ECCLESIASTICOS

ad impietatem deduxerit, quam Clericorū dissoluta & inhonesta vita; cuius emendationē ac reformationem, ut illis hoc tractatu persuadere possim, orandus est Deus, & omnes Sancti eius. Habent enim vim magnam pro nobis Sanctorū orationes, sed tūc profectō maximam, cum nos quoque idipsam, quod Sanctis exorandum commisimus, per penitentiam postulamus, et ad studia meliora cōfugimus. Alioquin, etiam si Moyses ipse, ut Chrysof. inquit; si Samuel, si Ieremias, si Ezechiel, si Noë, si Job, si Daniel, etiam si Abraham Patriarcha pro nobis in virtutis permanētibus Deum deprecantur, non tamen illorum oratione placabitur.

a homil. 5. in
Matth.

Si verō Deus non expectata nostra debita poenitentia & vita emēdatione, sed sua ineffabili misericordia, augustissimo & clemētissimo Regi nostro Philippo ob suam, suiq; Serenissimi Nepotis Alexandri Farnesii Ducis Parmensis, quē hic sui exercitus Imperatorem Ducemq; & Belgicarū ditionū moderatorem constituit, pietatē, & studia erga Catholica fidei ac religionis patriāq; restorationem ac conseruationem, tribuerit de inimicis suis victoriam; profectō nō est quod nobis quicquā ascribamus, sed Domini immēsas perpetuo decētemus & predicemus misericordias: omnīq; cura, sollicitudine, et diligētia caueamus, ne ad pristina, solitaq; nostra peccata & abusus, quibus Deum gravissimē offendimus, & ad hac flagella nobis toriq; patria immissa pronocauimus, reuertamur, veluti ad vomitū canes, & ad volutabra sues: alioquin vehementer metucndū, ne Deus ad se Catholicissimo piissimōq; Rege nostro, ex hac calamitatum &

tr̄ & tr̄agœdiarum valle auocato, vna cū fide & religione Catholica & Apost. Rom. regnum nostrū Sacerdotale, quod h̄ic florentissimū habuimus, alio tr̄sferat; sicut iam facere incepit, in Iapaniā, & alias insulis nouas ante annos aliquot inuentas.

Si qui verò hos meos conatus, & labores grauius agriusve ferant; illos meminisse velim à Platone Philosopho dictum a: Veritati irasci nefas est. Molestia quidem veritas est, quia frequenter ex ea nascitur odium, quod est amicitia venenum. Sed Cicerone censore b, obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens, precipitem sinit ferri amicum. Quocirca malui interdū in hac causa pia, cum Seneca nonnihil offendere, quàm placere adulādo. Quia adulatio vitiorū adiutrix, non modò amico, at ne libero quidem homine digna est; maximāq; in eo culpa est, qui & veritatem aspernatur, & in vitia obsequio impellitur c. Ceterum ne mihi metipsi nimium Suffenus aut Meuius videar, id vni vos omnes in Christo fratres, aliosq; huius libelli lectores obnixè precor, vt si quid correctione dignū inueneritis, mihi amicè ac benignè indicetis, & gratiā habebo maximam; & prastantiorē, potiorēq; veritatis, quàm opinionis mea rationem ducam. Vel priusquā me accusetis, aut hac scripta vituperetis, si facti vel scripti mei rationē beneuolò à me animo petere nolitis; obsecro, vt saltem vestras vel aliorū bibliothecas perlustretis, et veritatis studio, virtutis amore, ac vestra salutis desiderio inquiratis; anne probatos aliquot auctores habeam, quorum exemplo id scripserim, aut fecerim, quod à me scriptum factū me reprehenditis,

a. de repub. dial.

b in Lelio.

c Cicero in Lelio.

xlij AD BELGII ECCLESIASTICOS
henditis, ac vituperatis. Denique quia benignum,
ac plenum ingenii pudoris est, ut Plinius Secun-
dus in sua naturalis Historia ad Vespasianum
Imperatorem praefatione ait, fateri per quos pro-
feceris: obnoxij vero animi & infelicis ingenij, de-
prehendi in furto malle, quam mutuum reddere:
operapretium fore duxi etiam hic, sicut in altero
nostro Speculo feci, auctorum, ex quibus tracta-
tum hunc collegi, Catalogum & Chronicon subij-
sere.